

1535 struxerat, ut classem, quam intra stagnum collocaverat, ab hostibus protegeret. Pugnatum utrinque per aliquot dies acriter, cum tandem ad idus julias Cæsar tormentorum muralium omnem apparatus adhiberi imperat. Andreas Auria a mari verberandæ munitionis negotium suscepit, tantaque machinarum vi ab aurora usque ad meridiem petita, & quassata est, ut terribili impetu turris prostrata penitus solo æquata fuerit, ac munitiones disjectæ gradum militibus ad ascensum patefacerent; qui omnis generis tela, & missiles ignes tenaci flamma armis adhærentes, quæ a Turcis in subeuntes conjiciebantur, nihil morati, aut territi, summa animorum, ac corporum contentione in arcem irrupere. Barbari consternati, & perculsi, dum fuga salutem quærunt, complures cæsi, multi in stagnum detrusi periere; tormenta omnia, totaque Chariadeni classis ad quinquaginta partim triremes, partim biremes, quæ intra stagni fauces subducta fuerat, nullo obsistente, in Hispanorum potestatem concessit. Guletæ mille, atque amplius, Hispanorum præsidio imposito, iter Cæsar ad Tunetum intendit.

Guleta & Ahenorbarbi classis in Cæsaris potestatem perveniunt.

*Chariadeni & Africanorum pro-
stigio.*

*Chariadeni crudele de
captivis consilium.*

*Captivi in
libertatem
se vindicant,
& Tunetam
nam arcem
occupant.*

Ahenobarbus immensas barbarorum copias, quæ supra centum millia hominum fuisse feruntur, in acie produxit, adversus quos acri adeo impetu Christiani sese intulere, ut excipere, ac sustinere irruentes barbari nequiverint; sed in fugam præcipites versi, tormentis relictis, ingentem stragem subierint, Chariadeno doloris, atque iræ aculeis fremente, & cum suis ut Tunetum se reciperet, citato cursu adnitente. Ibi multa Christianorum millia, qui miserrima captivitate detinebantur, tormentario pulvere circumposito, in carcere coneremare statuerat, nisi barbari pectus mitior insignis piratæ sententiâ ab immani scelere revocasset. Cujus crudelis consilii fama cum in carcerem penetrasset, duo ex ejus libertis pietate adducti, carcere patefacto, ad disjiciendas, ac frangendas catenas instrumenta afflictis præbuere; qui statim ad libertatem anhelantes, vinculis disruptis, nudi, saxis, aliisque generis missilibus correptis, in Turcas insiliunt: arcem Turcæ deserunt; captivi, nonnullis cæsis, repente occupant; commeatum, arma, conditos regios thesauros intercipiunt; ex summa arce vexillum ostentant, ut Cæsari, atque exercitui factum significant.

Cha-